

imperator differri sibi victoriam, temptans ^{z)} largitionibus munerum clam inflectere suorum hostium signiferum. (fol. 222^v) Nam spondit ei cum maximis donis etiam apud sullimitatem suam celsitudinis locum, si suos deserens illius parti faveret. Ille vero minime adquevit, utpote miles adiuratus respondens sibi optabiliorem fore proprii interitum corporis quam sacramentis assertę fidei desertor ^{a)} haberi. Post aliquot vero dies habito invicem pacis consilio in deditionem gratis devenere imperatoris. Tunc quoque isdem Rotbertus ^{b)}, ut erat vir prudens ac strenuus, suggestit imperatori, ut filium, quem ei uxor sua intra ipsius obsidionem castri pepererat, catechuminum ^{c)} fieri per manum imperialem præcipere ^{d)}. Quod ille libentissime annuens, ut monitus fuerat, impleri mandavit ac propria puerum sustulit dextera eique nomen indidit ^{e)} Willelmum. Quem scilicet postmodum regina, coniux ^{f)} illius, ex sacro fonte suscepit baptismatis ^{z)}.

II (cap. 3). Erat ergo, ut prædiximus ^{g)}, eiusdem genitrix non solum prosapia nobilis, sed etiam morum honestate præcipua. Hęc siquidem referre erat solita de eodem puero huiusmodi verba. „Videbam me“, inquit ^{h)}, „nocte quadam dalmatica veste indutam statimque solis radius illustrabat michi mammillam dexteram. Dehinc vero apparuere ⁱ⁾ quidam, vultus gerentes angelicos, ipsique filium meum michi abstrahentes altius efferebant eundem ^{k)} infantulum ^{k)} nimia claritate ^{l)} circumfusum. Ego quoque hęc ^{m)} intuens, pavore perterrita nil aliud, quid ⁿ⁾ dicerem, repperiebam, nisi tantum: ‚Sancta mater domini salvatoris, tibi committo custodi illum‘. (cap. 4) Alia nanque ^{o)} perplurima ^{p)} optimi præsgii, quę nos fastidium vitantes reticemus, conspiciantur ^{q)} in illo. Nam et habitudo tenerrimę etatis ita dissimilis videbatur ceterorum,

^{z)} temptat, *darin -t auf Rasur in F*, tentans *BM*, tentat *R und M (in 2. Aufl.)*

^{a)} desertorem *R*

^{b)} Robertus *R*

^{c)} catechumenum *RBM*, -cu- *ü. d. Z. in F*

^{d)} praecepit *B*

^{e)} indixit *RBM*

^{f)} coniunx *RB*

^{g)} diximus *RBM*

^{h)} inquit *R*

ⁱ⁾ apparuerunt *RBM*

^{k)} *fehlt R*

^{l)} claritate nimia *Me RBM*

^{m)} haec nimio *M*

ⁿ⁾ quod *RBM*

^{o)} quoque *R*

^{p)} perplura *RBM*

^{q)} conspiciantur *R*

^{z)} Die Belagerung der Festung San Giulio im Ortasee durch Otto I. fällt in die Monate Juni/Juli 962. Die Chronologie des Rodulfus Glaber — oder seine Informationen — sind hier falsch, denn König Berengar II. lebte noch (950—964), s. B u l s t S. 22 f.